



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 9. Clementis XI. Pontificis literæ ad Lusitaniæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

minus, quam experimentum clementissimæ Sæc. XVIII.
 compassionis, qua vestra me dignatur A. C. 1709. Beati-
 tudo, faciunt, ut audeam, cum humilli-
 ma mei resignatione, tenues animi mei sen-
 sus repræsentare, quod si igitur Purpura,
 qua Sanctitas vestra sibi complacuit me ho-
 norare, obstaculo foret, quo minus unice
 intentum consequar, aut Apostolicum istud
 ministerium promoveatur, & ex consequenti
 Pontificium suum servitium, his, eidem
 plena mentis deliberatione renuntio ad san-
 ctissimos pedes mei benefactoris, scum pro-
 fundissima reverentia Beatitudini vestræ sus-
 plex, ut pro absolutissimo beneplacito suo de
 ea disponat, unice reflectendo in suis deter-
 minationibus ad suæ Cathedræ Apostolicæ
 emolumentum, meæ vero causæ curam di-
 mittendo, nisi quod eam Altissimo retribu-
 tori commendare, & paterna benedictione
 sua promovere non dedignetur.

§. IX.

Clementis XI. Pontificis literæ ad Lu-
sitanicæ Regem.

Tandem die tertia Martii hujus anni
 Romam pervenerant literæ, in qui-
 bus Turnonius Cardinalis, se ante bien-
 nium ad Macaonensem Civitatem exu-
 lare jussum atroces injurias a Lusitanis
 perpeti, apud Pontificem querebatur:
 inde vero Pontifex summo animi mæ-

Epistol.
Clem. XI.
pag. 539.

Sæc. XVIII. rore obrutus, altera die has ad Joannem Lusitaniæ Regem literas dedit:

A. C. 1709.
 „Ex pluribus Dilecti Filii Nostri Cardinalis de Turnon hesternæ die ad Nos allatis literis inaudivimus ipsum jussu Sinarum Imperatoris Mense Junio anni millesimi septingentesimi septimi ad Machaonensem civitatem fuisse devectum, ut ibi conquiesceret, usquequæ ante dicta procella sedaretur. Porro longe sæviorem procellam in ipso ad illius quietem delecto loco subire coactus fuit, nam Didacus de Pinho Tereyra Capitaneus Generalis nuncupatus, & ceteri, quotquot inibi sunt Majestatis tuæ Officiales, & Administri, quin & ipse Episcopus Machaonensis, qui etiam consilarii tui honore gloriatur, nulla sacri characteris, nulla præstantissimæ dignitatis, nulla Ecclesiasticarum Sanctionum, nulla denique Juris gentium, quod apud barbaras quoque Nationes sacrosanctum, ac inviolabile est, habita ratione, eundem Cardinalem, ejusque familiares injuriis, & contumeliis acerbissimis, ac pene incredibilibus affecerunt, adeo ut ipsi non sine lacrymis usurpandum multoties fuerit illud Cantorum: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me.* Primum enim *Officiales, &*
Ad.

Administri tui (*) Domum ab eo in præ- Sæc. XVIII.
 „dicta civitate conductam multorum A. C. 1709.
 „militum diurnâ, nocturnaue custo-
 „dia, qui ipsum, ut captivum detinent,
 „muniverunt; deinde illi exercitium
 „Ecclesiasticæ Jurisdictionis, & facul-
 „tatum Legationis Apostolicæ, quas
 „ei amplissimas attribuimus, interdixe-
 „runt; postmodum universis Machao-
 „nensibus civibus, proposito edicto,
 „inhibere ausi sunt, ne cum eodem
 „Cardinali ullum commercii genus ha-
 „berent, demum ex illius familiaribus,
 „& Sociis alterum, & quidem Sacer-
 „dotali gradu insignitum, in custodiam
 „tradiderunt, alios verberibus cæcide-
 „runt, omnes (uno verbo) ipsis ex-
 „horrescentibus Ethnicis, miserandum
 „in modum, ac hostili prorsus animo
 „afflixerunt, adeo ut Cardinalis, ejus-
 „que Comites Martyrii coronam, quam
 „in Sinarum Imperio a Paganis reci-
 „pere nequiverunt, a Christianis jam
 „expectare posse videantur. Quanto-
 „pere ex hujusmodi factorum atroci-
 „tate

(*) Rursus his literis testatum redditur, Turnoniam atroces hæc injurias, ærum-
 nasque jam per integrum biennium non a Si-
 nenibus, & Paganis, sed a Christianis & Lu-
 sitanis tolerasse. Vid. Tom. LXVII. §. VD
 pag. 547. in not.

Sæc. XVIII. „tate commoti simus, quamque inti-
 A. C. 1709. „mum, & plane acerbum dolorem in
 „de susceperimus, satis verbis expli-
 „care non possumus; certi autem su-
 „mus, haud leviori molestia piissimum
 „Majestatis tuæ animum, cum hæc
 „audiverit, affectum iri, eaque Regiæ
 „detestationis suæ argumenta daturum
 „quæ rei indignitas a perspecta Majesta-
 „tis tuæ justitia, & consueta erga San-
 „ctam hanc Sedem, & Ecclesiasticum
 „Ordinem reverentia postulat. Nos in-
 „terea Te de his omnibus per celerem
 „Tabellarium edocere consentaneum
 „duximus, ut inde certius gravissimam
 „animi nostri sollicitudinem deprehen-
 „das, qua impellente Majestatem tuam
 „hortamur, & enixe etiam rogamus
 „ut memorato Cardinali, ejusque So-
 „ciis libertatem repetendi primo quo-
 „que tempore Europam largiaris. Re-
 „liquum est, Charissime Fili Noster,
 „ut Officiales tuos, qui non modo, ab
 „omni humanitatis, & justitiæ lege,
 „sed ab ipsa etiam Majestatis tuæ re-
 „ctissima mente, ac voluntate adeo
 „turpiter discesserunt, gravioribus jam
 „Ecclesiæ Censuris, & pœnis multata-
 „tos, iis insuper, quæ a potestate tua
 „pendent, animadversionibus ita coer-
 „ceas, ut intelligant omnes, & præ-
 „cipue Sinenses, qui Legato Aposto-
 „lico

„lico omnes plane honoris, & reve-
 „rentiæ significationes perpetuo exhi-
 „buerunt, Te, & injurias ipsi illatas
 „molesto accepisse animo, & eas im-
 „punitas minime reliquisse.,,

Sæc. XVIII.
 A. C. 1709.

De cetero autem Cardinalis se lu-
 bentissimo animo in Indiis interiturum
 sæpius profitebatur, etiam cum nova
 veste Cardinalitia, cum hæc Aposto-
 lico ministerio sat idonea ac perutilis
 esset, &c.

§. X.

*Congregatio Romæ in caussa rituum
 Sinensium habita.*

Hoc item anno die octava Augusti
 præfente summo Pontifice, & ur-
 gentibus tam Dominicanis, quam Je-
 suitis ex Sinarum Imperio hac de caus-
 sa Romam ablegatis, rursus publica
 sancti Officii Congregatio habebatur,
 in qua per plures horas controversia de
 Sinensium ritibus strenue discutiebatur;
 quid vero demum fuerit decretum, tunc
 religioso premebatur silentio, & quam-
 vis P. Tamburinus Societatis Præposi-
 tus nullum non movisset lapidem, ut
 rei decisæ notitiam nancisceretur, nul-
 lus tamen ex Cardinalibus & Prælati-
 bus, qui huic Congregationi intererant, ju-
 ramenti a Papa impositi religionem
 vio-

Clef. du
 Cabinet. Oe.
 pag. 285.
 Gottfrid.
 Hist. Chron.
 cont. l. 15.
 pag. 703.